

Universitätsbibliothek Wuppertal

P. Vergili Maronis Aeneis

Vergilius Maro, Publius

Berolini, 1889

De vita poetae

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-730](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-730)

Portray. Fond. Post. IV. 7. 17.

DE VITA POETAE.¹⁾

- 70 P. Vergilius Maro natus est Idibus Octobribus a. ab u. c. 684 § 1.
in pago Mantuano, cui tum nomen erat Andes, hodie Pietola.
pater erat vir rusticus, Magii viatoris initio mercennarius, postea
ob industriam gener, mater Magia (cognomine Polla?), quos
V. pie coluit et amavit, dum grandis natu amisit.
- 58 a. 696 Cremonam ductus litterarum elementis imbuitur.
- 55 a. 699 toga virili sumpta Mediolanum transgreditur.
inde num Neapolim venerit, parum constat. fuerunt, qui
Parthenio poeta ibi litterarum Graecarum magistro eum usum
esse crederent.
- 53 a. 701 ad persequenda artium liberalium studia Romam se § 2.
contulit. atque eloquentiae causa Epidio oratori dedit operam,
sed apud iudices non plus quam semel causam dixit. rerum
naturam ut penitus cognosceret (cf. G. II. 490), medicorum
astrologorum mathematicorumque disciplinam accepit, cuius stu-
dii testimonia exstant B. 3, 40. G. I 32, 231. III 478. A. I 742 s.
maxime vero Sironem audivit philosophum Epicureum, qui idem
erat Ciceronis familiaris; cf. placita B. 6, 31. G. IV 219. A. VI
724 s. atque etiam sub finem vitae, si Aeneidem absolvisset,
totum philosophiae se dedere voluisse dicitur; cf. G. II 475 s.

Poetica facultas iam in puero apparuit. et adulescenti pro- § 3.
ximis saeculis tribuntur complura carmina minora velut
Dirae Ciris Culex Aetna Copa Moretum, sed quae nunc ferun-
tur, praeter singula epigrammata non habentur pro genuinis,
quamquam Copa et Moretum suis virtutibus non carent. ne Cu-
lex quidem, quo nomine constat Vergilium carmen quoddam
inscripsisse, eius ingenio videtur esse dignum.

Roma quo anno domum redierit V., pro certo dici nequit.

1) Plurimae res, quarum auctor non laudatur, vitae debentur
Donatianae, quam post Reifferscheidium (Sueton. p. 54 s.) ex cod. a
diligentissime edidit H. Hagen, Scholia Bernensia 1867, 61 s. = JJ.
Suppl. VI 734 s.

Scamander
Tenebr. maior 9
Helen. Bardones (III 167) Janus
Electra
Georgibus 9
Mercurius
Carmen. B. 336
Hippodamia
Aeneas
Troyena

- 43 a. 713 Octavianus post proelium Philippense reversus veteranis tribuendum concessit agrum aliquot oppidorum Italicorum, in quibus erat Cremona. inde progressus limitator cum partem agri Mantuani assumpsisset, bis erat periculum, ne Vergiliis quoque praedium eriperetur. cedere nolentibus centurio quidam etiam ferro minitari ausus est. sed iussu Octaviani (B. 1) C. Asinius Pollio Galliae cispadanae tum praefectus intercessit, iterumque, cum is partes Antonii secutus abiisset, P. Alfenus Varus (B. 9) praedium restituit.
- 41/38 Eo triennio Theocriti potissimum ad exemplum, qui poeta § 4. Syracusanus medio saeculo a. Chr. n. tertio vitae rusticae specimina (εἰδύλλια) conscripsit, V. carmina pastoricia (βουκολικά) confecit, ex quibus electa (ἐκλογαί) decem uno Bucolicon corpore comprehensa adhuc exstant. Bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur. atque auditis in theatro eius versibus quondam surrexit universus populus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est sic quasi Augustum (Tac. Dial. 13).

- Patria relicta V., cum C. Cilnius Maecenas ei consuleret, § 6. alio praedio (Nolano? cf. Gell. VI 20) donatus est. omnino amicorum liberalitati magnam debebat pecuniam: quamvis paucis uteretur familiariter, tamen optimus quisque maxime ei favebat. iam a. 716 Maecenati commendavit Horatium poetam (Sat. I 6, 54), qui amicum non semel laudat atque etiam (Carm. 37 I 3, 8) 'animae dimidium' nominat. vere a. 717 ex Campania, ut videtur, profectus V. itineris Brundisini (Hor. Sat. I 5, 39 s.) participes Sinuessae convenit. unde Maecenatem Tarentum ire pergentem haud scio an secutus sit; cf. G. IV 125.

- Lucem conventusque hominum consulto vitabat, ut si § 7. quando visus esset in publico, sectantes demonstrantesque ipsum suffugeret in proximum tectum. Romae domum habebat Esquilis iuxta hortos Maecenatianos, sed aberat plerumque, quod curandae salutis causa (nam corpore et statura erat grandis, sed a stomacho et a faucibus ac dolore capitis plerumque laborabat) secessu Campaniae Siciliaeque uti malebat; cf. laudes vitae rusticae G. II 458 s.
- 36 a. 718 Maecenatis si non iussu at certe respectu incohavit § 8. Georgica, quibus in componendis non modo 'Ascraeum carmen' (sic dicuntur G. II 176 Hesiodi Ascraei Ἔργα καὶ ἡμέραι), verum etiam Arati Eratosthenis Nicandri aliorumque

Graecorum
Varronisque
titia compar
nam traditi
ac per totu
iure dicere
demum effi
30 a. 724
V. Neapoli
per quadri
I 10, 44),
V.
26 a. 728
quarto libr
sibi intulis
verit, non
esse probat

Carmi
29 adulescens
Octaviani i
sed error
duci paulo
placuit. qu
et Iliadis i
Romanarum
Conge
digestamqu
prout liber
ut quibus
ope ex iis
colligi non
quaedam in
sit, quos p
nendum op
26 Octa
litteras fru
minis hypo
impetravit,
sextus, quo
23 a. 731 prae
Augustus,

Graecorum exempla secutus est nec Latinorum velut Catonis Varronisque de re rustica libros lectitare neglexit. rerum notitia comparata carmen elaboravit, quam maxima potuit industria. nam traditur cotidie meditatus mane plurimos versus dictasse ac per totum diem retractando ad paucissimos redegisse, ut suo iure diceret more ursae carmen se parere informe et lambendo demum effingere.

- 30 a. 724 dum Octavianus proelio Actiaco victor Parthos pacat, § 9. V. Neapoli Georgica confecit (IV 559 s.), confecta reverso illi per quadriduum Atellae recitavit. Horatium si audimus (Sat. I 10, 44),
molle atque facetum

Vergilio annuerunt gaudentes rure Camenae.

- 26 a. 728 cum C. Cornelius Gallus poeta Forouliensis, cuius in quarto libro amice ratio habita erat, ira Augusti motus manum sibi intulisset, num V. secundis curis quosdam locos retractaverit, non satis constat; alia singula post editionem mutata esse probabilius est.

Carminis de rebus Romanis conficiendi consilium V. si § 10.

- 29 adolescens abiecit (B. 6, 3), denuo cepit a. 725. neque vero Octaviani iam res gestas, id quod ille volebat (cf. G. III 46 s.), sed errores et bella Aeneae, a quo gentis Iuliae origo duci paulo ante coepta erat (cf. A. I 288), heroo pede persequi placuit. quo carmine cum alia tum Homerica exempla Odysseae et Iliadis imitatus est; praeterea origines rerum Italicarum et Romanarum, quoad potuit, amplexus adhibuit.

Congesta materia Aeneida prosa prius oratione formatam § 11. digestamque in XII libros particulatim componere instituit, prout liberet quidque, et nihil in ordinem accipiens. sequitur, ut quibus annis singuli libri confecti sint, historiae Romanae ope ex iis rebus, quae nonnullis locis breviter attinguntur, colligi non possit. ceterum V. 'ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta transmisit, alia levissimis verbis veluti fulsit, quos per iocum pro tibicinibus interponi aiebat ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent'.

- 26 Octavianus cum a. 728 Cantabris bellum intulisset, per § 12. litteras frustra efflagitavit, ut sibi 'de Aeneide vel prima carminis hypographe vel quodlibet colon' mitteretur. postea id impetravit, ut ter singuli libri recitarentur, in quibus erat sextus, quo (v. 860 s.) commemoratur Marcellus Octaviae filius
- 23 a. 731 praematura morte abreptus. eum ubi audivit cum sorore Augustus, poeta aere gravi est donatus.

- 27 Aequales summa spe nascentis poematis famam iam a. 727 prosecutos esse testis est versus Propertii (II 34, 65):

*Cedite Romani scriptores, cedite Grai:
nescio quid maius nascitur Iliade.*

- Homeri laudem ne aequaret, nedum superaret, V. fato misero impeditus est. undecim annis impensis Aeneidi ut extrema manus accederet, in Graeciam et in Asiam secedere constituit, ubi multa eum, si licuisset, emendaturum fuisse certum est, siquidem moribundus totum librum ut imperfectum concremari voluit. sed Athenis in morbum incidit et ab Augusto exoratus, ut una rediret, Brundisium revertit, ubi obiit a. d. XI. Kal. Oct. a. 735. ossa eius Neapolim translata sunt, ubi hodie quoque sepulcrum poetae, quicumque visunt, pio gratoque animo venerantur.

- Aeneidem L. Varius Rufus et Plotius Tucca amici testamento moniti, ne quid ederent, quod non ab ipso poeta esset editum, 'summatim' emendatam ediderunt. Augusti iussu ad celebrandos ludos saeculares a. fere 737 in publicum eam prodixisse non sine aliqua probabilitate conicias. neque ita multo post Ovidius poeta subtili iudicio veraque vaticinatione de tribus Vergili libris praedixit (Am. I 15, 25) haec:

*Tityrus et fruges Aeneïaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.*